



1 Aug. 1888

Monj - Se me. A. Romanov

J. 11. 22.

PRIVILEGIO.

+ 8

+

non  
 alle obm  
 gaud  
 pmanal  
 ad regn  
 de duri  
 ut pfiat  
 ppha d  
 ve rita  
 ita nel  
 mroft  
 x obuf  
 xplorat  
 tibus f  
 pfidare  
 ficut  
 th cu cu  
 vhaufon  
 fct fudi  
 cu fenu  
 b dnt de  
 xapul m  
 ndice  
 f dnt ol  
 anconer  
 anna p  
 fa huc  
 viter du  
 am huc  
 u g ete  
 u mti  
 vdyru  
 xcompe  
 of fcccc  
 amoc  
 cu il tr  
 d dnt ol  
 Equit  
 dnt huc  
 h huc  
 ntical  
 f dnt  
 fudra  
 f dnt  
 ce f p  
 v a huc  
 f dnt  
 v dnt  
 dnt  
 huc  
 huc

*m. 72*

*co*

PETRI GALLANDII REGII  
Latinarum literarum professoris Oratio in fu-  
nere Francisco Francorum Regi à professoribus  
Regiis facta, habita Lutetiæ Nonis Maii,  
M. D. XLVII.

*D 7*

*Libria Francosa Bunt...*



LUTETIAE

Apud Michaëlem Vascofanum, via Iacobeæ.

CVM PRIVILEGIO.

*ta og*

*f*



THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY  
1910-1911

ILLVSTRISSIMO, OMNIOVE

Virtute & doctrina florentis. Cardinalis

Bellaio, Petrus Gallandius. S. P. D.



ON obliuione tui, minus etiam con-  
temptu, sed pudore & metu feceram,  
vt quod ad minuendum dolorem de  
morte Regis conceptum, & colen-  
dam sempiternam eius memoriam,  
diebus superioribus subseciuis horis luseram: & in  
frequenti auditorum nostrorū conuentu, ad exem-  
plum rerum honestarum, pronunciaueram, ad te  
nō mitterem. Quemadmodum enim Lucilius ho-  
mo doctus & perurbanus dicere solebat, se, quæ  
scriberet, Tarentinis, Cōsentinis, & Siculis scri-  
bere: nec Persium se, sed Lælium Decimum lecto-  
rem velle: ita hanc operam nostris scholasticis,  
non tibi & tui similibus nauatam esse volebam.  
Quis enim sanus his in rebus tuæ censuræ, vt olim  
Portii Catonis, seueritatem non reformidet: Ve-  
rum cum te eius legendi magno teneri desiderio  
mihi significasses, etsi timide diffidentérque vt  
id facerem animum inducebam, demum tamen  
nō committendum esse putauit, vt voto tuo (quod  
mihi imperium esse solet) fatiscere noluisse ti-  
bi videri possem. Quod cum præcipue feci, vt  
tibi benignissimo domino meo, bonarūque ar-  
tium patrono singulari, obsequerer: tum etiam, vt

tui iudicii aleam periclitatus, intelligerem suppressi-  
mine, quod ego semper faciendum putaueram )  
an, quod à me multi contendebant, inuulgari, &  
in aliorum manus venire deberet. Vt enim ineptus  
esse tibi obsequedo, quàm recusando inhumanus  
videri malebã: ita, quod de Platone Callimachus di-  
cebat, tuum vnus doctissimi & disertissimi ho-  
minis iudicium, propè omnium mihi instar esse vo-  
lebam. Quod quia tu tantopere probas, utque in  
publicum exeat nobis author es: ecce impulsu tuo  
cymbã alto committimus, vêtis vela pandimus, &  
cuiusque modi est, omnibus legendũ proponimus.  
In quo vt nullam ingenii & eloquẽtiæ famam se-  
quuti sumus, ita quò minus nos pia & officiosa vo-  
luntate principis tantum de nobis & literis pro-  
meriti, laudes prosequi optauisse, &, quod aiunt,  
silentibus aliis omnibus, in magnis voluisse ho-  
mines dicant, non recusamus. Vale.





Ellem Deus opt. maximus fecisset or  
natis. Viri, vt Francisco Regi, beni-  
gnissimo patriæ & bonarum artium  
parëti sanitati reddito potius gratu-  
laremur, quàm vt vita functum, ve-

teri gentium omnium instituto, funebri oratione  
prosequeremur. Verum quia nullis ille mortalium  
votis contra Dei voluntatem in vitã reuocari po-  
test: & hodie cum Deo eterna felicitate fruens, nos  
in hac vita beatos, luctus omnis expertes, & demũ  
suæ felicitatis participes esse cupit: agite, aggredia-  
mur quod eum nobis ereptam virtutis prædicatio-  
ne ab hominum obliuione & silëtio vindicet: no-  
bĩsque, qui ei superstites sumus, dolorem quem de  
eius acerbissimo interitu cepimus, imminuat, &  
nobiscũ mortales omnes ad res præclaras & egre-  
gias eius exemplo extimulare possit. Quanquam  
difficilimum esse mihi video, vt tanti luctus leua-  
men & solatium aliis adferam, qui ipse vix ango-  
ribus, quibus fere conficior, resistere possum: & re-  
rum, quæ nobis oratione explicandę sunt, ponderi  
sufficiam: qui & ingenio parum ualeo, nec multũ  
ab eloquëtia adiuuor. Verum cum ille mihi inter  
suos literarũ professores, dum viueret, eum locum  
attribuerit, à quo cæteri, velut ab eloquentiæ offi-  
cina, benedicendi doctrinam petere consueuissēt:  
nostrumq; ordinem & collegium maxima & be-  
neuolentia, & liberalitate semper sit profecutus, fa-

## O R A T I O

ciendum esse quoquomodo existimaui, vt rerū magnitudini potius parem facultatem, quàm officiosum conatum, gratiamque & piam voluntatē nobis defuisse homines intelligerent. Quanquā qui aliis hominibus vocem intercludere, & animi cogitationes deiicere solet, nimius de amissa re pretiosissima & charissima dolor, ita mihi vtrumque ad querimoniam & dolorem effundendum incitavit & extulit, vt si non à nobis expressa & perfecta rerum heroicè ab illo gestarum descriptio, at quæ æquis hominibus satisfacere possit, tolerabilis quædam adumbratio sperari possit. Quæ vt incompta, & claris verborum luminibus destituta minus vos fortassè delectabit: ita bonorum, quæ largiter in nos cōtulit, pia commemoratione, vulneribus quæ vobis eius obitus infixit, medicinā, vt opinor, facere poterit. Magnum profecto vulnus, & post Francorum regnum constitutum longe grauisimum, eius interitu accepimus: cui crudo adhuc, necdum coalescere valenti, & manum artificis reformidanti, tantisper dum cogito quomodo medicina adhibenda sit, (quod Metellum Macedonicum in funere Scipionis Africani fecisse legimus) continere me non possum, quin exclamē: Cōcurrite, cōcurrite viri Frāci, extincto enim Frācisco hodie nostri Regni mœnia collapsa sunt: concurrite, inquam, quia nunquam maioris Regis funus videbitis. Quæ enim in variis Regibus singula  
summos

summos & admirabiles faciunt: ea diuinæ prouidentia singulari munere, vera Regum ornamenta cuncta in eo mirifice refulserunt: omnium rerum atque artium infinita cognitio, literarum & litteratorum incredibilis amor, iustitia, clementia, fides, liberalitas, magnificentia, rei militaris scientia, animi magnitudo: addamus etiam generis claritatem, & formæ præstantiam, ne contra consuetudinem fortuita contemnere videamur. Quæ duo postrema, & si in nostra potestate non sunt, neque nos vere nobilitant, cum & genus, & proavi, & quæ non fecimus ipsi, vix nostra putanda sint: quia tamē iis non indigna fecisse à quibus nobis nobilitatis initium, & virtutis exemplum proditum est: & formæ pulchritudinem non contaminasse vita turpiter acta laudem meretur: ea paucis, quasi inter agnoscentes & potiora spectantes, indicare non abs re videbitur. Quamquã cum lege Salica in Franciæ regno agnati, & sola stirpe virili à superioribus Regibus propagati, sceptrum regium iure hæreditario accipiant, in quibus à Pharamondo ante annos centum & mille, primo Fræcorum Rege, tot viri magnanimi, fortes, iusti, sapientes, graues, sancti, heroes potius quàm homines Regnum administrarint, quod operæpretium facturum se putauerit, qui de Frænci generis nobilitate prolixè verba fecerit? Cum enim perpetua serie ab iis originem ducat, quorum claritudo longe maxima, non minus externis gen-

## O R A T I O

tibus quàm nobis cognita est: ea de re hoc loco nisi stulte & inepte dici profecto non potest. Nam, vt id breuiter fiat, rerum ab iis gestarum magnitudo impedit, etiam si primis prætermisissis duntaxat ad Philippum Valesium, & qui citra hunc, Fránciscum propius contigerunt, respexero. Sin id plenius facere tentauero, non oratio mihi concipienda, sed maximum volumen ab hoc loco alienum institutum erit. Quòd si ab hac parte mihi serio laudandus esset, quãdo liberos procreasse virtutis opinione claros propè gloriosius est, quàm à parentibus illustribus nasci, nulla ex re maioré gloriã meritum esse dicerem, quàm quòd Héricum filium sapientia, iustitia, fortitudine & téperãtia singulari omné humanam laudem supergressum tanti Regni hæredem reliquerit. Quod si à corporis forma staturaque aliqua commendatio querenda est, ea in illo cum apta membrorum lineamentorumq; conformatione dignitatis, humanitatis, liberalitatisque significatione fuit, quod oculis ipsi vsurpare potuistis, vt qui attentius hæc consideraret, ad Regiam maiestatem apposita & facta diceret. Non contracta breuitas, quã Lacedæmonii in Archidamo suo Rege quòd exigua statura vxorem duxisset, pecuniis multauerunt: non stupéda proceritas, ex qua vecordiam & amétiam trito prouerbio colligere solemus. Quæ tamé quia nobis non fingimus, & à fortuna proficiscuntur, breuiter perstrixisse satis sit, vt

fit, vt ad ea quibus proprie cēferi homines debēt, mature tranſeamus. Atq; vt primū de literis, à quibus improbi & imperiti fortaffe Regū minui gloriam, ego vero cum ſapientibus amplificari & ornari inſigniter puto: quas cum intelligeret omniū bonorum & virtutum vberrimum eſſe ſeminarium, & eas demum felices, vt ait Plato, Reſpub. in quibus principes eſſent Philoſophiæ ſtudioſi, ingenium quo præſtātifs. præditus erat, totum ad liberales artes & rerum multiplicem cognitionem contulit. Itaque cum tam vehementi literarum amore flagraret, nulla illi vitæ portio, nullus locus, nullum tempus expers literarum fuit. Nulla illi vnquam tanta difficultas in tam vaſti Regni administratione, nullum tātum negotium obiectum eſt, vt quamuis ad ea inſigniter animum adiiceret, à variarum tamen rerum diſquiſitione reuocaret, efficerétque quo minus Solonis exēplo addiſcens ſeneſceret. Nulla illi vnquam cœna, nullum prandium, nulla ſtatio aut ambulatio ſine colloquiis & diſputationibus literariis peracta eſt: vt quicunq; menſam eius frequentarent, non ſe principis opi- paro & dubio ſerculorum apparatu luxuriantem menſam, ſed doctiſſimi & diligentifs. Philoſophi ſcholam frequentare arbitrarentur. Ne venatio quidem, qua plurimum delectari conſueuerat, vt, quo eā inuentam Xenophon voluit, ſimulachrum quoddam & proluſio belli ſibi & ſuis eſſet, hoc

## O R A T I O

iucundis. studiorum fructu caruit: quam cum obiret, stipatus non minus doctis hominibus quàm sagacibus canibus peritisque venatoribus & aucupibus, quicquid in omnes partes varie natura fundit, percontando, ita ad coniecturam rationemque reuocabat, vt facile homines non socordes ad veri inuestigandi cupiditatem excitaret. Eadem de causa cum in nullo loco quietem diurnam & moram æquo animo ferret, vita illi perpetua peregrinatio fuit: quam frequentem cum sanitatis etiam causa propter corporis exercitationem, atque vt omnes imperii sui partes probe septas & munitas hostibus inexpugnabiles redderet, tum vero vt quicquid omnibus in locis visendum aut admiratione dignum esset, erueret & cognosceret, magna animi alacritate suscipiebat. Et quod in officiis vitæ monēt Philosophi, ne quid conemur aut aggrediamur, cuius probabilis ratio reddi nõ possit: ille non modo in iis, in quibus tamen nihil prætermittebat, verum etiam in omnibus causis & effectibus naturæ exactissime seruauit: nihil vnquã vel ex iis quæ oculis aut auribus percipiuntur, aut corpori extrinsecus applicantur, aut intro sumuntur, sibi obiectum esse & oblatum passus est, cuius naturam, vires, occultasque proprietates cum doctis hominibus communicando, non excusserit, expresserit, & perdidicerit. cùmque ea authoritate apud suos esset, quãtam in nullo vnquam Regum meminimus,

minimus, ea tamen animi moderatione fuit, vt ve-  
 ritatis eliciendæ causa nihil præiudicatam suam  
 opinionem valere, sed vnicuiq; de re controuersa  
 in cõtrarias partes disputare liberrimum esse vel-  
 let. Quamobrem frequenter irridere, & improbare  
 quod de Pythagoricis accepimus, solebat: quos fe-  
 runt si quid affirmarent quod à quoquam impro-  
 baretur in disputando, sine vlla ratione responde-  
 re solitos sic habere, quòd ita Pythagoras dixisset.  
 Nec contentus iudicio & sentetia eorum quibus-  
 cum sermonem miscebat, quòd intelligeret ma-  
 gnis principibus omnes fere non vera, sed plausi-  
 bilia dicere, & ad gratiam loqui: Demetrii Phale-  
 rei ad Ptolemæum consilium secutus, libros, è qui-  
 bus Regis officia cognosceret, qui nec erubescer-  
 ent, nec adulari didicissent, frequens manibus tere-  
 bat, aut sibi vt recitarentur curabat. Alexandrum  
 magnum illum orbis triumphatorẽ cum laudem  
 literarum cum militari gloria coniungere vellet, ea-  
 dem inflãmatum discendi cupiditate, pecuniæ &  
 sumptibus nõ paruisse ferunt: & Aristoteli sexcen-  
 ta talenta ad animalia omnis generis conquirenda,  
 ex quibus multiplicis naturæ vis cognosci posset,  
 tradidisse: atque vt ab eodem libros de recondita  
 Philosophiæ Peripateticæ disciplina doceretur, cu-  
 rauisse: uerum, quod barbari Reges & Tyranni fa-  
 cere solent, doctrinam hanc sibi peculiarem, neq;  
 cum vulgo communicatam voluisse, de quo extat

## O R A T I O

eius ad Aristotelē epistolā, in quibus eum obiurgat, quòd eas disciplinas quibus ab eo eruditus esset, foras editis libris inuulgasset, & omnium cõmunis fecisset. At in nostro Frácisco longe diuersum studiũ, & multo sanius fuit. Cum enim secundum philosophi verbum, quod cum literis sacris consonat, bonum tãto esse melius, quãto cum pluribus cõmunicaretur sibi persuasisset: populũq; nõ principis, sed principem populi causa creatum & cõstitutum, & literas sine quibus vita hominum mors est, in summis bonis duceret: rationem meditatus est, qua illas quãtũm lógissime & latissime diffunderet. Itaque decretis honestis stipendiis, doctos homines in omnibus linguis & artibus professores delegit, & designauit cũ variis in locis, tum precipue in hac celeberrima Parisiorum Lutetia imperii sui principe ciuitate, à quibus literę non in omnes Gallię modo, verum etiã externas exterarũque gentium oras breui propagatę sunt: quo instituto, non modo exterorum conuẽtu hanc Academiam celebrauit, sed quod visu auditũq; pulcherrimũ est effecit, vt quos habitus, cultus, regiones lingua & mores disiungerẽt: in eodem auditorio, disciplina, institutio, & sacrosancta musarũ foedera charitate, & cõmuni humani generis beneuolẽtia deuincirẽt. Et quia nouerat artes honore ali, & ad eas homines incẽdi gloria, iacerẽq; ea apud quosq; studia quorum cultores neglecti non ornarentur, commẽdatos



conmendatos à doctrina vel publicæ famæ, vel doctorum hominum testimonio, è variis Regni prouinciis alios ad iudicum tribunalia magistratúsque & tractanda Reipub. gubernacula admouit: alios qui ciuiliū negotiorū fluctibus immergi nollent, in Episcopos & aliarū ecclesiarum Antistites euexit, ita tamen vt honoribus auctos & ornatos identidē appellaret, & monumentū aliquod literarium suę beneficentiæ, quasi præmium ab iis exigens, socordes esse & torpore languescere non pateretur. Cicero multis in locis conqueritur, quòd cū Respub. vnus consilio atque cura gubernaretur, ne otio marcesseret, Philosophiã Romanis hominibus explicãdam suscipere coactus esset. At Francisco vno Regni sui clauum moderante, nemini qui ab ingenii dotibus illustris esse posset, non modo per ipsum otioso esse, sed ne publicas quidem occupationes excusare, quo minus aliquãdo Philosopharetur, licuit. Sic enim existimabat nihil vnquã recte nec priuatim nec publice à quoquam geri, qui non à literis & doctorum hominū libris rerum gerendarum consilium & prudentiam frequēter peteret. Qua ratione breui tempore tanta seges doctorum hominum in eius regno suppullulauit, tot hominū non solum discēdi, verumetiam scribendi studia commota sunt, vt nulla non modo nobilis & potens familia, sed vulgaris & plebeia reperiretur, in qua non plurimi famuli, clientes, liberi, &

## ORATIO

Græcè Latinèque bene loquentes, & in disciplinis variis non mediocriter versati se statim offerrent: nullus in aula regia alioqui numerosissima versaretur, qui non apprime & linguas & artes liberales ita calleret, vt vel è Græco sermone in Latinū, ex vtroq; in vernaculum, veterum libros conuerteret, aut non minore gratia cū veteribus certantes novos conscriberet. Quo breui factum est, vt quemadmodum ex Appennino orientia pleraque omnia Italię flumina in mare se exonerāt, ita è gymnasiis & scholis quas aperuerat, variarū linguarum & doctrinæ notis insignes homines quāplurimi Regiam aulam magno sceptri regii ornamento celebrarent. Neq; enim quod barbari Reges & Tyrāni indoctiq; sacrorū antistites reformidant, ne eruditiores facti quibus præsumunt aut imperāt, insolescāt, iugum excutiant, & defectionē aut rebellionem moliantur, eum vnquam insigni sua virtute & innocentia fretum vel tantillum commouit, aut in hoc pulcherrimo stadio remissionem reddidit, imo verius suos & religionis obseruātiores, & legibus suæq; maiestati obsequentiores futuros, & in quouis vitæ genere melius officio suo functuros sibi persuaserat, & palàm apud alios prædica-bat, si literis essent ad humanitatem Deiq; & animi cognitionem probe instituti. Denique iam tanquam arcem aliquam Mineruæ animo altiore meditando, quā suæ mortalitatis memor, bonarum artium

tium hostibus, firmam validámque & velut iusto com meatu armíque instructam, post mortem opponeret: bibliothecam quæ omnes Romanorum Aegypti atque Pergami regum olim celebratissimas superaret, apud Aquebellæ fontem infinitis in omnibus linguis & disciplinis voluminibus referferat, custodésque qui à blattis, tineis, situ, squa-lore, & omni iniuria cæli libros uindicaret, ipsámque bibliothecam fartam tectam tuerentur, appo- fuerat: quam vt etiã auctiorem, instructioré q; red- deret, doctos homines per Græciam & Asiam cum ingenti pecuniæ summa, anno superiore dimi- serat, qui solerter indagarent, & redimerent quic- quid antiquorum librorũ inueniri posset: iisdémq; mandauerat, vt si etiam plures, quàm sperabatur, nãcisci possent, accepta quanti licerent à mensariis pecunia, statim in Galliam cum aliis transmitterét. Atque vt intelligere possitis, non ad pompam & ostentationem tantam librorũ molem, sed ad pu- blica vniuersi terrarũ orbis cõmoda in vnum lo- cum comportatam officinam typographicã in hac vrbe sculptis fufisque elegãtissimis typis & chara- cteribus adornauerat, in qua educti sigillatim è re- gia bibliotheca libri, ne & hic locus plagiaris esset, transcriberentur & excuderentur. Vos, vos hic ap- pello Academię proceres, bonarũque artium qui frequentes adestis studiosi. Vos, inquã, testes sum- mæ eius in hanc nostram & omnium literarũ pa-

## ORATIO

rentem beneficentiæ & beneuolentiæ perpetuæ esse volo, qua animi propensione uestra omnia priuilegia non modo integra cõseruarit, verum etiam amplificarit, & aliis additis cumulauerit. Tam hospes & peregrinus in hac Repub. nemo est, vt ignorare possit qua humanitate cum aliàs plurimos uestrum, tum etiã me inter uestros oratores pro uestra libertate & immunitate hoc triennio ter aut quater acceperit, & concessis quæ postulabamus dimiserit. Nostis omnes, cum maxima tributa ex omni penu & annona uigentibus bellis ab omnibus exigenterentur, & reliquorum ceruicibus grauius onera imponeretur, quàm studiosos omnes literarum ab iis liberos & immunes esse uoluerit, quãq; nunquam finem suæ liberalitatis uobis clausit. Quia ratione factum est, vt hoc uestrum Regnum literatum, quod vt omnia alia facile iis artibus quibus aliquando partum est cõseruabitur, non modo hodie retineatis, sed longe florentissimum supra quàm dici possit uideatis. Et quoniam aspirantibus uentis longius prouecti sumus in hoc æquore literario, silentio prætereundum non est, quod tãquam bonus poëta extremum fabulæ suæ actum longe optimum addere uolens, locum insigni amplitudine trãs sêquanam è regione Luparæ metatus designauerat, ubi gymnasium omnium opinione maius, uelut opulentissimum literarum emporium extrueret, quod qua structure præstantia,

tia, magnitudine, nobilitate futurum esset, ex ea pecunia conicere proutum est, qua illud ædificare, dotare & locupletare cõstituerat: in eius enim exædificationem ducẽta aureorum millia: in censum annum, quo cum Gymnasiarcha professores & sacrifici, tum etiã lecti adolescentes egregia indole supra sexcentos ibidem in literis educarentur, supra triginta millia cõstituebat. Et perfecisset utique (quod vtinã fata fuissent) nisi annis ante aliquot id agitãtem importuna bella retardassent, & iam bellis functum id apparãtem mors intempestiua & immatura è medio sustulisset. O spes nostras inanes, ô fallaces eius cogitationes, ô fortunæ malignitatem & inuidam factorum legem, spem tantam velut in flore decerpentem, ne supra hominum facultatem humana prouehãtur. O principẽ immortalitati consecrandum, ô nos omnes miseros qui literas colimus, tali patrono & parẽte orbatos: Quemadmodum enim nauigantes fracto procellã gubernaculo, & excussõ nativis moderatore, quod lamentetur, & de sua salute solliciti sint, habet: ita pròh dolor, nisi vecordes sumus, est vnde tanti Regis obitu omnia luctu & planctu compleamus, vnde de nostra & literarum salute vehementer laboremus: est inquam, vnde seũssimi fati atrocitate percussì, pestẽ & exitium nobis, bonifque literis à Barbaris metuamus. Sed ineptus ego, qui cum statuissem vobis animos erigere contra

## O R A T I O

dolorem, & oratione mea luctum minuere, vtrūque cumulem & augeam. verum id iacturæ quam fecimus, magnitudini & tanti Regis adempti desiderio nobis omne consilium subuertēti, ascribite. Video plane mihi hodie euenisse quod olim mihi sero illi qui Laureolū agebat Romę accidisse narrant, vt quemadmodum ille in repræsentanda fabula non simulate sed vere vrsō Calidonio membra dilaceranda præbuit: sic ego dum more veteri Franciscum funebri oratione prosequor, animum verissimo eique acerbissimo dolori exulcerandum & effodiendum exhibeam: aut potius quod Athenis in agenda quoque fabula Polo histrioni contigit, cum ollam cineres filii continētem in manum accepisset, vt non fictus luctus mihi agendus sit, sed ita verus exprimendus, vt lachrymas vberime erumpentes cohibere non possim. Sed ad hunc luctum minuendū & leuādum, sub oculos nobis subiiciamus Franciscum (ita enim piis sperādum est) cum Deo & cælestiū spirituū ordinibus, cōculcatis fortune ludibriis, in cælo triūphantem, huius semētis literariæ quā tāto labore, sumptu, vigilātia, nobis in terris sparsit, messē colligētē, & fructus vberimos capiētē, nostramq; beatitudinē in quam eius benignitate per literas euecti sumus, eius interitu nos infestātibus egritudinibus opponamus. Caudices olim, trūci, saxa, & stipites ante hūc regē eramus: eius vero munificētia & naturę excellētia

tia per literas ad humanitatem & omnem honestatem exculti expolitique sumus. Sub hominum forma crassa & foeda ignorantiae tenebris obsiti, bruta animantia in pectore gerebamus: nunc vero disciplinis omnibus eruditi & instituti sapimus, & vere homines sumus. Antea bestiarum instar velut obstructis rationis organis, ad id solum quod praesens & sensibus obiectum erat, nos accommodabamus: nunc vero non solum totius vitae cursum procul videmus, verum etiam naturae intima & abdita penetramus: nec huius contenti finibus, tanquam supra nubes volitantes, sacris literis è fontibus erutis, quasi cum deo colloquium miscemus. Nam si verum invidia sprete fateri volumus, quis ante Franciscum Regem in Fracia Hebraicae linguae mentionem audierat? quis Graece non dicam intelligere, scribere aut loqui, sed legere primis dumtaxat cognitis elementis didicerat? quis oratione non dicam distincta, ornata aut apta, quod tum insolens & inauditum erat, sed Latina & propria uti noverat? quid in omnibus disciplinis confusum, luxatum, contaminatum, laqueisque sophisticis intricatum non erat? quid secunda & limpida aqua fluebat? quid in toto *εγκυκλοπαιδείας* omnium artium corpore, vel tantillum sanitatis & incolumitatis retinebat? At imperante Francisco, profligata barbarie, absterfis foedae inscitiae sordibus, eam lucis splendoremque omnes artes recepere, in eam sublimita-

## O R A T I O

tem & fastigium euectæ sunt, vt iam quod rebus omnibus in summo stantibus accidere solet, declinatio & defluxio metuenda sit. Quamobrem si quamplurimos antiquitas propter variarum rerum inuentionem, ac meliorem usum, quæ vitæ mortaliū excolendæ vtilis ac salutaris credebatur, cōsecrauit, & in deorum numero collocauit: cur Franciscum, tatorum eius beneficiorum memores, in cælestium concilium non transcribemus? Poëtarum fabulis proditum est, Deucaliona post Theffalicum diluuium iactis post terga lapidibus, genus humanum aquis obrutum reparasse, quod duros & agrestes homines humanitatis expertes mansuefecisset, & ad mitiores mores traduxisset: lidem Promethea subrepto Ioui in ferula igni cælesti, fictiles statuas animasse scriptum reliquerunt, quod homines indoctos Astrologiã docuisset: his Orphea adiungunt, quem cithara canentem saxa & syluæ secutæ sunt: & Ariona eadem de causa à delphinis in mediis pelagi fluctibus seruatum, & ad litus eorum tergis infidentem incolumem delatum. At quanto poëtis in Frãncisco nostro latior apertus est cãpus, & copiosior sylua oblata per allegorias significandi, quantum propagandis omnibus artibus in omnes vitæ partes profecerit. Quod enim de mari vulgo dicitur, quicquid nascatur in parte naturæ vlla, id in mari esse, præterque multa quæ nusquam alibi, appositissime de Francisco dici potest. Quæ enim



enim ad excellentem gloriam tum fabularum inuolucris poëtae, tum etiam veritatem secuti historici singula de singulis prodiderunt: ea vniuersa & iis etiam plura vno fasce colligata in Francisco deprehenduntur. Si medicinam spectes, cuius curiosiss. indagator & omnium eius partium calentiss. fuit, eum Mithridati, Lyfimacho, Euaci, Iube, Gentio, Marco Ro. imperatori, omnibusq; aliis regibus fortiter opposuerim: Si agriculturam, cuius tam studiosus fuit, vt etiam quedam de ea poemata scripserit, Hieronem, Philometora, Attalum, Archelaum & Magonem Pœnum æquauerit: Excitandis & fouendis magnis ingeniis prouehendisq; non ad regiam ostentationem, sed ad publicam omnium hominum vtilitatem, facile Alexandrum superauerit: qui non vnum aliquem vt Alexander, sed innumeros quotquot nascisci potuit de quibus bene sperare liceret, ampliss. honore & loco dignatus est: In extruendis bibliothecis quas non vno in loco excitauit, easque cum omnibus mortalibus communicatas esse voluit, transcriptis exemplaribus & inuulgatis, Varrones, Lucullos, Ptolemæos & pergami reges plane obscurauerit. His tam præclaris rebus, tantam rei theologicæ cognitionem addiderat, vt de religione ad nobiles qui aulam sequebantur, frequenter verba faceret, & concionatoris vices obiret. Nam eloquentia tanta sermone patrio fuit, tam diuina rerum lectarum &

## O R A T I O

auditarum memoria, tanta in percipiendis rebus ingenii solertia, in explicandis vi & copia, vt quod de Pericle à doctis hominibus proditum est, quoties ad dicendum se composuisset, tonare, fulgurare, & omnia dicendo permiscere videretur. In epigrammatis vero, quorum extāt libri aliquot ab eo scripti, nō minimum specimen ingenii sui incomparabilis dedit, in quibus tanta ingenii amœnitas, sermonis vrbalitas & elegancia, inuentorum acumen elucet, vt quicumq; ea legerit, facile nulli veterum in eo genere cessurum fuisse dicturus sit, si ei per grauissimas in regno administrando occupationes hīc suo indulgere ingenio licuisset. Augustum dicere solitum ferūt, se Romam Lateritiam reperisse, relicturum marmoream: at si intueri volumus è quanta barbarie in quantum doctrinæ decus suos homines Franciscus extulerit, regnum è luteo reliquisse aureū merito dicere poterimus. Pompeium magnum plenis ad cælum laudibus efferunt, quòd ingressurus domum Posidonii egregii philosophi pulsari de more ianuam vetuerit, & deponi fauces imperauerit: Alexandrum etiã, quod Dario victo, reperto inter eius impedimēta & spolia scrinio, auro gemmisque & margaritis distincto, vnguentisque preciosis fragrante, illud librorum Homeri custodiæ destinauerit: at Franciscus ad libros cōparādos, cuius rei gratia legationes aliquando cū ingētibus muneribus ad Turcarū imperatorem

peratorē misit, arcas ingēteis auro graueis effudit. Nec solos hoīes doctos, verū etiā typographos, librarios, & typorū quibus excudūtur libri fusores opificia sua exercētes, vt animū illis adderet, submissis maiestatis suę fascibus visere dedignatus nō est. Itaq; nō solū libris lectitādīs, aut doctis hoībus recitātibus audiēdis, verū etiā quod Homerus V-lissi gręcorū prudētissimo tribuit, multorū vrbes, mores, & studia cōtēplādo nō minorē rerū omniū vsum q̄ sciētīā adeptus, omniū sapiētissimus effectus est. Ac de literis quas ipse tātopere adamauit & promouit, pro rei quidē magnitudine nō dubito quin mea oratio nimis fortassē cōtracta & breuis, pro præsentī autē instituto superfluēs & redūdans esse videatur. Silere igitur nobis cōcedatur, quod quēadmodū olim Hierō & Pausanias Simonide familiariter vsi sunt: Talete Milesio Periāder Corinthius: Pericles Anaxagora: Solone Croęsus: Polyido Minos: Vlyssē, Nestore & Palamede Agamemnon: ita doctōrū & sapiētū hominū corona cinctus esse tota vita voluerit: Lōgoliū igitur quo adolescēs anteq̄ Rex esset, familiariter vsus est: Fabrū doctū & sanctū senē, Theocrenūq; quos etiā suis liberis præceptores præfecit: Paulū Amyliū Verona, Lascarim igētibus stipēdiis Roma euocatū: Erasimū, cuius ingenio & scribēdi facilitate delectabatur, magnis præmiis toties sollicitatū: Alciatū qui si diutius in Gallia māssisset, inter Regios libellorū supplicū magistrōs adscriptus esset: Budæum

## O R A T I O

Fræciæ præcipuū decus, cui maximos sæper honores habuit: Cardinalē Bellaiū, eiūsq; fratré Lægeum sub exitū vitę res Alpinas pro Rege administratē, doctifs. prudētifs. fortissimōsq; homines nō minus regi propter eminētem doctrinā, q̄ in rebus gerēdis animi vim prudētiamq; charos: vt ne Lazarum Bayffiū doctū hominē, & obitis legationibus insignē, P. Danesiū ad doctæ legationis munus nuper vocatū, & S. Macrinū omittam, è multis nominare dūtaxat nobis cōcedatur. Ferāt cæteri animis eq̄s, nec se propterea cōtēni putēt, si ex infinito doctorum hominū aceruo quos sibi doctrine nomine familiares esse voluit, quibuscū cotidianos sermones cōtulit, quorūq; recitationibus & interpretationibus frequēs interfuit, vnū P. Castellanū Matiscon. pōtificē quē propter admirabilē rerū omniū atq; artium cognitionē, vitę innocentiā, integritatē & cōtinētiam singularē, amore & familiaritate tāto tēpore cæteris oībus antetulit, nominatim appellamus. Ignoscāt, inquā, si in hoc genere laudis eius vnus nomē vsurpamus, à quo vt ī vita toties præclara bene viuēdi documēta acceperat, ita ī morte ab vno eodē viā ex hac vita ad cælū feliciter emigrādi, doceri, & demū in sinū eius extremū spiritū effundere voluerit. Patiātur ceteri, q̄ plurimi ad magnos honores & opes ab eo eruditiois & ingenii noīe euecti sūt, dū breuitati studeo, se hoc loco filētio præteriri. Hac enī ī parte nō tā mihi cōsiderādū est quid dici, q̄ quid eorū, quę plurima supersunt, omitti possit, vt tādem & virtutibus iis quæ vere

reges

reges ornāt, aliquis locus tribuatur. Quo tamē pri-  
 usquā ingrediamur, velim etiā atq; etiā confidēre-  
 tis, quę & quāta res sit regni administratio, quibus  
 implicata difficultatibus, quām variis hominū ca-  
 lūniis obnoxia. In qua frequēter qui in vita priuata  
 sine vlla reprehensione vitā traducere potuissent,  
 hominū maledicētiam & obtrectationes effugere  
 nullo modo possunt: neq; id prorsus sine causa. Vt  
 enim multos videmus, qui in amne sedato & le-  
 niter fluēte, inoffenso cursu lembum facile remis  
 subigebāt, in vastis Oceani fluctibus onerariā na-  
 uem facto naufragio mergere: ita frequēter in tan-  
 tarū rerum turbinibus multa peccātur à principi-  
 bus, à quorū vel tenuissima suspicione priuati im-  
 munes esse potuissent. Quēadmodū enim ventis,  
 pluuiis, atque aliis tempestatibus quę ad hominū  
 commoda comparatę sunt, immoderatis ac vehe-  
 mentioribus accidere videmus, vt multorum ar-  
 bores lædantur, sata sternantur, pecoribus detri-  
 mentum inferatur, tecta deiiciantur: ita fieri nō po-  
 test, quin vno tantam imperii molem sustinente,  
 multa, quę in varias hominum reprehensiones in-  
 currant, incommode multis eueniant. Huc adice,  
 quod in tanta rerum omnium licentia, tantis opi-  
 bus, tāta potentia, inter tot voluptatū blandimē-  
 ta, tot irritamēta cupiditatum, difficillimum est a-  
 liquādo non laxare animorum sinus, non naturę  
 aculeis eò nos semper incitātibus obsequi. Et hoc

## O R A T I O

mali secum hæc illustris vita trahit, vt latere nihil  
 quod in ea mali admissum sit, possit : & quas exi-  
 mias virtutes habet, à leuibus culpis obscurentur.  
 Adde, quod quemadmodum inundante mari aut  
 flumine, culcitræ, lodices, lectos, peristromata, ve-  
 stémque omnem stragulam sine discrimine qui-  
 búfuis ereptam aquarum impetui opponimus, &  
 in incendio tectū diripimus, vt reliqua domus in-  
 columis maneat: ita in imperio gubernando vr-  
 gente necessitate, vt Reipub. corpus vniuersum  
 saluum sit, multa coguntur facere principes, quæ  
 multis iniusta iudicantur. Quamobrem ad multa  
 principum facta, prudentibus conuiendum, ex-  
 cusanda plurima, & in meliorem partem interpre-  
 tanda, aut non tam ipsis, quàm vastæ rerum moli,  
 quam sustinent, adscribenda sunt. Rursus vero in  
 quibus virtutis significatio, & rerum bonarum si-  
 mulachra apparent, etiã si abest ea perfectio quam  
 sapiētibus tribuere solemus, omni cultu obsequio-  
 que colendi, amandi, & prædicandi sunt. Experia-  
 mur igitur ecquid in Francisco tantæ laudi litera-  
 riæ virtutes Regiæ responderint. Atque in primis  
 occurrat à qua boni viri nominantur, iustitia: quæ  
 cum omnium latissime pateat, & virtutū aliarum  
 magnum agmē post se trahat, primam dignationē  
 mereatur: ea cū duabus partibus constet, nō inferē-  
 da & prohibenda, quæ aliis infertur iniuria: vtraq;  
 noster Franciscus excelluit. Nemo vnquam iudices  
&

& magistratus omnes magis inuiolatos & sanctos esse voluit, quos vt magis ad fungendū iustitiæ officii accēderet, crescētibus vitiis, & præmiis, & numero frequenter auxit. Nemo vnquam vim armatam, latrocinia, insidias, depeculationes, & monetæ publicæ adulterationes seuerius vltus est. nemo in eos qui magistratus violassent, Rép. perturbassent, seditionem excitassent, aut impietatē admisissent, acrior & vehemētior fuit. Itaque cum natura lenissimus, clemētissimus, & misericordissimus esset: adduci tamen à nemine vnquam potuit, vt seueritatem cōtra eiusmodi sceleratos patriæ gratia susceptam deponeret, & iis misericordiā impartiretur. Quin etiam, vt magnitudine suppliciorū hos à sceleribus deterreret, leges non paucas condidit, quæ quibusdam horum pœnā multo grauiorem quàm superiores infligerent. Viget hodie, quæ vti nam nunquam exolescat, qua egregie iter facientibus & peregrinātibus consultum est, saluberrima lex aduersus latrones lata, vt aratorio cultro, pedibus, manibus, ceruice & dorfi spina cōquassata, & fracta in rota tandiu sublimes viuant, quandiu animam de cælo trahere poterunt. Extat in falsum testimonium dicentes, vt capite plectantur, qui cum leuius punirentur maiorum nostrorum socordia, non putātium quanta impietas esset, & Reipub. pestis falsi testimonii dictio, omni pudore & metu excusso, in bonorum hominū per-

## ORATIO

niciem ad dicendū testimonium ruebant. Taceo breuitatis causa, quę cōtra eos qui temere iurabāt, personati, aut armati incedebant, foro in fraudem creditorū cedebant, & alias istiusmodi pestes grauiissime edixerit. Nec silentio prætereundum puto, quod cū scelerata procuratorū & patronorū fraude in foro tanquam labyrintho inextricabiles litigādi vias animaduerneret, vbi tanquā ad syrtes omnium fortunarū naufragium maior pars Gallorum faceret: cōpendia certa, semitāsque rectas adhibitis doctis hominibus, excogitauit: quibus reiectis sinuosis eorum voluminibus, velut confixis cornicum oculis, cito & directe controuersia deciderentur. Quod vtinam hodie magno reip. bono aut inuiolate obseruaretur, aut in eas poenas improbi rabulæ, velut andabatæ in tenebris clausis oculis pugnantes incurrerent: quas in eos qui contra hoc edictum fecissent, constitutas esse voluerat. Vobis autē Iudices, quibus hanc prouinciā demādauit, nota sunt iudicia de quæstoribus, prouinciarū præsidibus & summis magistratibus, peculatus, repetundarūue reis, quæ annis superioribus auditis prouincialium, & totius populi querimoniis, ea seueritate exercuit, vt vestrā sententiā secutus, quibusdā magistratus abrogarit: alios exilio multauerit: non paucis in publico patibulo gula laqueo fracta animā intercluserit: quorū cum exempla recētia vobis ante oculos versentur, vt viuētium



tium existimationi parcam, nominibus abstinebo. Ad quã seueritatẽ, vt iam diximus, causa Reipub. susceptam, q̃ nõ esset à natura implicatus, & à crudelitate atque immanitate abhorreret, argumẽto erit perpetua & constans eius animi lenitas & clemẽtia in alios fontes non natura quidem sceleratos, sed casu, fortuna, aut repentino aliquo animi motu in mala facinora prolapsos: quibus, si spes aliqua affulgeret illos ad meliorẽ vitam & officium conuersum iri, benignissime ignoscebat. Eidem etiam rei argumento quoque erit incredibilis eius animi moderatio aduersus nefarios omnes, etiam qui in ipsum peculiariter deliquerant: in quorum neminem vnquã priuato animi motu pro suo iure sæuiit: neminẽ læsit, pulsauit: nulli vnquam manus attulit, aut id fieri à quoquam suorum familiarium passus est, cum principẽ ad diiudicanda tetra fontium facinora similes esse debere legibus, quẽ nõ irascuntur, dictitaret. Magna laus in tanto principe viri Franci, tãtam authoritatem, quã natura insolens & superba est, apud suos obtinente, cum eis à quibus iniuria affectus esset, impune nocere posset, nocere noluisse, animum vicisse, irã cohibuisse, misericordiã tribuisse, prostratos & iacentes erexisse, errorem agnoscentibus, resipiscentibus, & veniam poscentibus in peccatis casu susceptis, sinũ aperuisse, fortunas & patrimonium ademptum restituisse, in honorum gradũ quos ante gesserant, reposuisse,

## O R A T I O

se, & pristinā amplificasse dignitatē. Agedum, & quā fuerit obseruās religionis, quę magnis authoribus iustitię pars est, intueamur. Cum regna à deo constitui, eueri, & alio transferri ex lectione sacrarum literarum in quibus exercitatisimus erat, cognosceret: nunquam quicquam aut pacis cum hostibus firmandę, aut belligerendi causa suscipiendum putauit, quin prius per omnes ecclesias dimissis quoquo literis, preces publicas fundi & supplicationes fieri imperarit. Quod & rebus ad nutum fluentibus agendarum deo gratiarum causa, & infeliciter cedentibus ad expianda peccata & placandam eius iram, non minus semper obseruauit. Quod ex eo certissime confirmabitur, quòd improbatas de religione phanaticorū quorundam sectas in suo regno serpere passus non est: sed missis ad omnes episcopos & senatus sui regni literis, quibus eos ad diligētem, vt extingui mature possent, agēdam vigiliam hortabatur, in earum authores seuerissime animaduernerit. Quā in re vt ab impietate remotus fuit, ita ab omni superstitione abhorrens, tēperatam mediocritatem seruauit: ne, quod ante fere sectatorum in dies crescente numero iudices consueuerāt, quemuis à cōmunibus moribus & receptis ritibus dissentientem, nec quauis de causa eodem loco & numero haberent. Vt enim aduersus eos qui in sacrosanctum Eucharistię sacramentum impii & blasphemii.

mi essent, aut religionis prætextu seditiones excitassent, implacabilis erat: ita qui inconsiderato quodam animi impetu circa alia in errorem prolapsi essent, aut quædam leuia effutiuisent, & resipiscerent, crimine liberari, & in Ecclesiæ gremium recipi veteri eius instituto cupiebat. Nam quamuis læsæ diuinæ maiestatis crimen admisissent: quia tamen nõ præcogitata malitia, sed erroris opinione in quem optimus & simplicissimus quisque facile inducitur, miseratione potius & venia, quàm odio aut supplicio dignos iudicabat. Quam ad rem nõ solum canones ecclesiasticos de hæreticis & ecclesiæ primæ mansuetam consuetudinẽ, verumetiam Christi seruatoris nostri præceptum proponebat, quo errantẽ ouem in ouile cum aliis magno cum gaudio reportandam in Euangelio admonet. Itaq; nimiam hac in re seueritatem velut crudelitatem & immanitatẽ pertæsus, vtq; locus esset pœnitentiæ iis qui in praua persuasione obfirmati essent, postquam vfitata seueritate nihil profici animaduuerterat, paucis ante mortem mensibus, triremibus eos in seruitutem tantisper addicere statuebat, donec aut suum errorem agnouissent, aut pœnas longa remigatiõe sua temeritate dignas exoluissent. Quod si maiorem constantiæ eius intuenda religione approbationẽ expetitis, quæ certior aut firmitior adduci poterit, quàm quod cum à variis principibus & externis rebusp. frequentibus legationi-

## O R A T I O

bus sollicitaretur, vt suæ religionis dogmata per  
 regnum promulgari sineret, & à Ro. pontifice de-  
 scisceret, hac ratione omne auxilium ad oppugnā-  
 dum Cæsarem pollicentibus, eos tamen omnes  
 cum Cæsare à quo grauissime vrgebatur, inimicos  
 capere maluit, quàm à pontifice Romano, & reli-  
 gione veteri nobis longa annorū serie à maioribus  
 per manus tradita recedere. fide vero quanta esset,  
 (vt vnum aliquod factum eximiū pro multis pro-  
 feram) Cæsaris per mediam Galliam trástitus Gan-  
 dauensibus in Fládria res nouas, & ab eo defectio-  
 nem molientibus indicat: quem non solum inte-  
 grum & incolumen, verū etiā ita honoratū & ob-  
 latis suis opibus auctum dimisit, vt iniecto seditio-  
 nis terrore, omnes ei obsequētes & dicto audiētes  
 redderet. Sed ne & liberalitatis eius infinitæ quæ  
 ex eodē iustitiæ fonte manat, obliuiscamur: & in  
 eius admirabilem magnificentiam ipso sole cla-  
 rius explendescentem aliquādo dilabamur, nemo  
 plura vnquam & maiora & citius & minus gra-  
 uate dedit. Sunt qui dum beneficia conferre vo-  
 lunt, dilatione & mora petētes diu torquent: alii  
 simulatis occupationibus, posteaquam obducta  
 fronte diu eluserunt, demū quasi irati & inuiti con-  
 ferunt: in quo vim liberalitatis hebetant & extin-  
 guunt. Alii quæ liberaliter benemerentibus dilar-  
 gienda erant, vsurpant ipsi, sibique seruant: à qui-  
 bus omnibus alienissimus fuit. Nemo enim princi-  
 pum

pum post homines natos ita suos cliētes, comites, affectas, nemo homines omnes non modo in artibus liberalibus, verum etiā opificiis, ingenio florentes, administranda rep. aut re militari claros, quique suas in bello partes secuti damnum fecissent, extulit, & locupletavit, tot tātisque opibus, sacerdotiis, magistratibus, cæterisque honoribus pro cuiusque captu, conditione & dignitate auxit & ornauit. Cūque vis infinita pecuniæ ad regium fiscum patriæ legibus redeat, ex honorariis ciuitatū, bonis capite damnatorum, exilio mulctatorum, intestatorum, hostium partes in bello sectantium, & qui iure regni donati non sunt, horum ille nihil vnquam attigit, nihil in suum ærarium inferri passus est, quod iis rebus regiam maiestatem non locupletari aut ornari, sed contaminari & minui existimaret. Itaque statim vt sibi parta essent, benigne in alios, quos aut de se, aut de regno bene promeritos esse putabat, etiam absentes nec petētes contulit. Denique aperto omnibus suæ benignitatis fonte, id demū se possidere existimauit, quod aliis liberaliter dedisset. Age vero, quāta eius, quæ semper in capessentibus Remp. laudata est, magnificentia fuit: quanto epularum sumptu, vestium luxu, equorum ornatu, ludorum, certaminū, omniumque spectaculorum splendore, omnium gentiū legatos, reges, & principes multos, ipsum denique Cæsarem excepit: qua donorū amplitudinē discedētes

## O R A T I O

profecutus est? quot nouas vrbes fossa, moenibus,  
 aggere, turribus propugnaculis munitissimas in ex-  
 tremis regni finibus breui tempore condidit, ve-  
 teres instaurauit? qua elegantia, ornatu, pulchritu-  
 dine, dignitate, & stupēda quadā architecturæ sciē-  
 tia, qua omnem antiquitatem superauit, nō in vr-  
 bibus solum, sed etiā ruri locis amoenissimis ædes  
 superbas, arces & septa vere regia extruxit? quan-  
 ta stagnorum, fontium, statuarum, imaginum, an-  
 tiquorūque signorum ex omni materia artificio-  
 se expressorum præstantia, ea omnia loca illustra-  
 uit? Lucullos alii, Pompeios, Cæsares, à magnifico  
 ludorum, spectaculorum, triumphorum, villarum,  
 porticuū & theatrorum apparatu celebrant: alii  
 mausolæa, pyramides Aegyptias, Asiatica templa,  
 & reliqua quæ vocant orbis miracula, ambitiose  
 ingerunt, quæ vere æstimanti, artificio, sumptu, ma-  
 gnificētia à Francisco superata iudicabuntur. Hic  
 video paratos esse qui mihi obstrepant, quædā ab  
 eo in indignos & parum promerentes esse collata,  
 & rectius in pauperes & egentes quàm in has in-  
 fanas extruções tãtam pecuniam collocari po-  
 tuisse: intelligo, & huic reprehensionī initio me oc-  
 currisse puto, Regiam personā sustinere arduam  
 rem esse, ancipitem & periculosa alex plenam, la-  
 queos plurimos Principibus à versutis hominibus  
 virtutis asimulatæ specie necti, fucatis impostori-  
 bus & adulatoribus expositos esse, multis etiam  
illécebris

illécebris, quibus semper resistere in tanta impunitate & potentia supra hominem sit, eorum simplicitatem tentari. Adde, quod non minus ad splendorem & magnificentiam quàm ad necessitatem magni Principes comparati sunt: in quibus etiam frugalitas & parsimonia vix scio an virtutes appellandæ sint. Magnum eum iustitia, cleméntia, fide, liberalitate & magnificéntia audiuitis: reliquum est, vt tandem aliquâdo peroremus, vt de singulari animi magnitudine, & rei militaris peritia pauca dicamus. Nullam autem rem esse in vsu militari positam quæ eius scientiam fugerit, declarat cum longa eius ætas quæ nunquã ab armis à prima adolescentia recessit: tot bella fortiter ab eo gesta, tot arces captæ, oppida expugnata: toties hostes cõcisi, tot ab eo loca inaccessa hostibus redita & omni arte munita: tum etiam libri, cum perditum legiones ad exemplum Romanorum ordinaret de militum disciplina & instruendo exercitu ab eo prudentissime & disertissime scripti. Animi vero magnitudinẽ, ostendunt vindictę contẽptus, accepta iniuria, placabilitasq; & cleméntia summa: in rebus aduersis iuxta ac secundis idẽ vultus, eadem frons: vt etiam in ferenda æquo patientique animo, vxoris, matris, liberorúmque maximæ spei morte, Socratem illum & quemuis constantem ex omni vetustate nobis expresserit. Arguunt res arduæ laborum, periculorúmque plene, maxi-

ma mortis & rerum humanarum despiciētia suscepta, qua factum, vt nullum praelium vnquam cum hostibus cōmiserit, vbi nō ipse acies instruens, suos ad pugna cohortans, atque inter primos dimicans, inuētus sit. Nam vt qua robusti & excelsi animi præsētia Albæ ducē Hispanorumque & Britannorum copias Frācorum exercitus ductor, Ludouico socero suo regnāte, Aquitania expulerit, trepidantesque ad Morinum Francorum turmas à Britannia rege & Maximiliano Cæsare ex insidiis in fugam versas restituerit & confirmarit, hoc loco non attingam, bello cum Heluētis in agro Mediolanēsi cōmisso, intrepidi ac fortis animi præcipuum indicium dedit, quo fufis supra triginta hostium obstinate & pertinaciter ferarum ritu pugnantium millibus, squalore & puluere fordidatus, foedatusq; interfectōrum sanguine; post diu nutantem & ancipitem pugnam victoriam reportauit. Declarauit idē primo Hānonico bello, quo Cæsarem Valentianis cedentē ea formidine perculit, vt tota Flandria vix vsquā tuto subsistere se posse confideret. Declarauit quoque non minori sapiētia & rei militaris sciētia, quā animi robore inuictō, bello quod ante annos octo ad prohibendum & excludendum prouincia Narbonensi Cæsarem, suscepit: in quam mediam cum Barbaris in Africa deuictis elatior contracto ex Italia, Germania, & Hispania exercitu lōge maximo Cæsar



far penetrasset: quòd Allobroges sub ditione Frã-  
 corum redactos ægerrime ferret, non aliter quàm  
 olim Fabius Maximus Annibali multis victoriis  
 insolesceti, se ita rex illi loco opportuno cum suis  
 copiis opposuit, vt egestate, inedia & leuibus ex-  
 cursionibus ad extrema consilia redactum, amissa  
 maiore exercitus parte, retrocedere, & re infecta  
 per deuios tramites Italiam repetere coegerit. De-  
 clarauit hoc, & ante triennium expeditione ad li-  
 berandum obsidione Landritium suscepta, quòd  
 Cæsar Sycambri subactis ferox, cum contractis è  
 Germania & Britannia copiis maximis, oppugnã  
 arctissime obsidisset, eosque qui in præsidio loca-  
 ti erant, cõsumptis frumentis, armisq; militaribus  
 in eas angustias compulisset, vt nisi propediem à  
 Rege subsidium sensissent, rerum omnium inopia  
 pressi, deditione facturi essent: ipse cum liberis &  
 vniuersa nobilitate magnis itineribus, instate hye-  
 me, eò contendit: pulsaq; & loco mota Cæsariani  
 exercitus parte, cum comeatum quantũ voluit,  
 recentemq; militem in oppidum introduxisset, fa-  
 cta per bidium Cæsari pugna copia, & eum ob-  
 sidione relinquere coegit, & paucis desideratis in  
 regnum incolumis reuersus est. Declarauit & aliis  
 in bellis, quæ post variis in locis extitere, præcipue  
 in pugna apud Tycinum commissã, à cuius cõme-  
 moratione lubens abstinere, ne grauissimum vul-  
 nus quod tum accepimus cicatrice obductum, re-

## O R A T I O

ficari videatur: nisi omnibus malis quibus tum  
 conflictati sumus, anteponendam fortitudinis lau-  
 dem esset consecutus. Non enim si post maximam  
 hostium stragem à se editam, suis omnibus deside-  
 ratis, captus est: minorem propterea gloriam ade-  
 ptū putare debetis: nisi forte Leonidam ad Ter-  
 mopilas cum suis Lacedæmoniis fortiter pugnan-  
 do cæsum, immortalibus in omnem posteritatem  
 præconiis celebrandū non existimatis. Quod enim  
 à strenuo & magnanimo Duce præstari debuit,  
 nihil prætermisit. bacchante Borea, frigus & in-  
 diam cum laxis stratoribus & gregariis militibus  
 perferre, quàm vr̄bis egregiæ, qua propediem  
 potiundi in spem certam venerat, obsidionem de-  
 ferere maluit. hostem transfugam quem fugien-  
 tem assequi non potuerat, exercitu comparato ad-  
 uersus se venientem, quòd fugere turpissimum ef-  
 se duceret, expectavit, cõflicxit: facinora plurima for-  
 tissimo imperatore digna edidit: multos fulminis  
 in moré ruens concidit, prostravit, afflixit. reflante  
 demum fortuna, equo vulneribus ad terram col-  
 labente (vt fortissimum quèque Mars pignerari so-  
 let) in hostium potestatem venit. In quo quòd  
 prospero successu caruerit, vacare culpa debet,  
 quòd nihil prætermiserit, nihil intentatum reli-  
 querit, quod ad ducem generosum pertinet: quod  
 animo præsentis patriæ causa res arduas aggressus  
 sit, discriminibus se obiecerit, mortem contempse-  
 rit,

rit, humana omnia despexerit, captus animo incō-  
cusso fuerit, solidam laudem meretur. Nam felicē  
rebus euentum præstare, efficeré que vt nostris cō  
filiis fortuna subscribat, in manu nostra positū nō  
est: prudentiam, animi præsentiam, fortitudinem  
& cōstantiam vt præstemus, in nobis ita situm est,  
vt si in duce desiderentur, turpitudinis notam ef-  
fugere nullo modo possit. Parta victoria illustrior  
esse fortasse potuisset, fortior certe non potuisset.  
Virtus in bello summa, vigilantia, labor, authori-  
tas, ei abunde adfuerunt: vna fortuna tantę Gallo-  
rum felicitati inuidens, defuit. Itaque qua oratio-  
ne Ascanium filium alloquitur apud Vergilium  
Aeneas, eadem filium adhortari ad res egregias po-  
tuit. Disce (inquit) puer virtutem ex me, verūmq;  
laboré, fortunā ex aliis. Quę vt nouerca esse desiis-  
set, cū eo tamē hoste ex se potētissimo, & regū o-  
mnium externarūmq; nationū auxiliis nixo, ei ne-  
gotium semper fuit, vt ab eo superari dedecori  
ascribendum non esset. Quæ animi magnitudo cū  
in omnibus actionibus vitæ valde laudanda est,  
tum præcipue in morte vltimo totius vitæ actu  
eam commendationem meretur, vt etiam totam  
vitam turpiter actam frequenter exornet. Adde,  
quod in opulentis & potētibus, cuiusmodi reges  
sunt, eo rerum articulo magis quàm in aliis glo-  
riosa est: qui cum rebus omnibus quæ vitam sua-  
uem reddere solent, largiter abundant, non modo

## ORATIO

è vita migrare reformidant, verumetiam ad solam mortis mentionem aut recordationem toto corpore perhorrescunt : ea tamen quæ tota vita contra omnes fortunæ impressiones Francisco incredibiliter animum armauerat , ægrotanti & vitæ finē præsentienti tanta adfuit, vt ad obeundum mortis vadimonium magnā animi præsentiam & alacritatem significauerit : & quasi ad lautum aliquod cõuiuium aut suaue balneum inuitaretur, nullam vnquam vitæ cupiditatem, nullum mortis metū ostenderit. Quæ eò omnibus qui aderant admirabilior visa est, quòd pulcherrimo aliarum virtutū agmine stipata, ea bene & christiane viuendi documenta dedit, vt facile homines intelligerent, eum instante morte diuiniorem factum, afflatu quodam diuino & quasi cælitus admota face extrema oratione vsum. Quanta enim cura & sollicitudine, postpositis rebus omnibus, animæ medicum, cui contractas noxias ritu christiano confiteretur, statim accersuit? quibus gemitibus, quo plāctu, qua vitæ antea cõtē non satis, vt iudicabat, compositæ pœnitentia, qua reuerentia & pietatis significatione salutiferum eucharistiæ sacramentū suscepit? Qua verborum dignitate & copia christianæ iustificationis fiduciã in sacratissima Iesu Christi cruce, quam ambabus manibus amplexus erat, inque preciosissimo eius pro nobis asserendis effuso sanguine se collocare clara voce professus est?

est?

est? Qua postea animi corporisque placabilitate cum iam instare prope tempus videret, vt animã ageret, sacram perunctionem summam admisit? q̄ certa spe & fiducia adhortante eum sapientis. Matifconensiũ Põtifice, vt fidei clypeum intrepidus salutis nostræ hostibus obiiceret, cū eum vox defecisset, primũ oculorum nutu, & postquam in vno obtutu defixi, quod morientibus accidere solet, obriguissent, sublatis digitis se vni Christo fidentem aduersus malos genios fortiter præliari significauit? Neque tacẽdum existimo, quã sancta & graui oratione filium, extremũ allocutus sit, se morientem magno gaudio affici, & lubentius è vita emigrare, quod talem filium tam ab omni vanitate nugis & leuitate remotum, tanta constãtia, grauitate & sapientia, qua non modo regno Franciæ, sed totius mundi Imperio dignũ putaret: quẽ tam morigerum & sibi obsequentem semper expertus esset, regni & nominis sui successorem relinqueret: apud quẽ cum ingenue fassus esset, quid in administrãdo regno peccasset, obsecrare cœpit, vitiorum suorum ne sectator esset, virtutes si quas animaduertisset, ad suas adiũgeret. Ante omnia, vt quod ante fecisset, Dei metũ sibi ante oculos semper obuersantẽ haberet: populi quem vrgentibus bellis coactus afflixisset, curã susciperet, & calamitates subleuaret: fraudem omnẽ & corruptelam à iudicibus & magistratibus remoueret: ita demum

## O R A T I O .

regnantibus regna constitui & firmari, si, ne cui scelus admissum impune esset, prouideret: forori virgini prudentissimæ & castissimæ se parentē præstaret: in literis propagandis suum institutū sequeretur: ecclesiis pastores sanctimonia vitæ & doctrina claros reiectis lupis, præficeret. hæc astantibus familiaribus. sed & alia plurima quæ nondū emanarunt sapientiæ plenissima, sicut intelleximus, semotis arbitris filium edocuit & monuit, quæ cum habenas dolori laxantem lachrymis oppletū animo linqui animaduertit, oratione blanda doctrinam insignem & sanctimoniã spirãte consolatus, de Dei voluntate, necessitate fati, humanæ conditionis imbecillitate, aliquantisper recreatum dimisit. Deinde ad Matifconensium pótificè conuersus, quem tanquam xenagogum sequi velle in morte profitebatur, rerū sacrarum mysteria explicantem, & de diuinæ misericordiæ vi, sanguinisq; Iesu Christi pro nobis in ara crucis effusi, verba facientem tãtis per audiuit, donec in ea, qua diximus, perpetua pietatis significatione expiraret. Video vos rerum ab eo gestarum cõmemoratione aliter atq; putabam commoueri auditores, video morte eius socratica, imò potius Christiana vos lachrymas comprimere non posse: quod nobis erat institutum ad dolorem vobis minuendum, video potius ad augendum valuisse: quod ad colendam eius memoriam sempiternam susceptū, vobis luctum conduplicasse:

plicasse: quod ad exemplum & imitationem virtutum propositum, mœroris & lachrymarum materiam fuisse animaduerto: quin potius (quod viros & philosophos decet) animū erigitis, mentē attollitis, oculos ad cælum intenditis, & felicitatē eius consideratis: Deo que gratias agitis, quod eū gloriæ suæ piis & sanctis destinatæ, confortē & ciuem diuinorum spirituum coetibus ascripserit? Quid enim est, cur eum qui decurso legitimæ vitæ spatio tam feliciter ad metam peruenerit, & tanquam è vasti maris tempestatibus in beatitudinis portum inductus sit, lugere debeatis? Cauete, cauete, inquā, ne si vestra causa eum lugere pergatis, nimium vos amare, eius beatitudini inuidere, & Dei voluntati obsistere velle videamini. Quod vt facilius consequamini, quin in id vnde nō minus immortalis futurus est, respicitis? In Héricum Regē eius filium in omni genere laudis excellentem vestras cogitationes conuertitis? non effœtū, non senectute extrema desipientem, non puerum leuitate præcipientem, vt vobis comminatio Salomonis metuenda sit, sed ætate integra, cordatum, sapiētē, corporis atq; animi viribus ad res bene gerendas plane appositum. Quem cum ea temperantia, moderatione, pietate in Deum, patriam & populum: in coniugem, liberos, fratres, sorores & nouercam, charitate: beneuolentia erga literarum studiosos, & literas ante suscepti regni administrationem cogno-

## O R A T I O

ueratis, tum vero paucis hisce diebus accepto gubernaculo ex his qui bene gerendi imperii fundamenta iecit, recognoscere potuistis. ea enim primo regni tyrocinio prorsus designauit, quibus bonis omnibus ad bene sperandum de se quasi signum quoddam extulit. Clarissimos viros rebus gestis, consilio, authoritate, doctrina & generis nobilitate florentes, statim sibi à consiliis esse & summæ rerum, alios ecclesiasticarum, ciuiliū alios præesse voluit. Quis enim est qui in clarissimo Franciæ equitū magistro Anna Mómoratio, qui à prima pueritiæ disciplina in tot rerum & ciuiliū & bellicarū fluctibus semper rectum clauū tenuit, & pacis tuēdæ artes omnes, & belli, vbi opus est, gerendi peritiā, & in vtroque fortunæ vultu inuictam animi magnitudinem, in rebus prouidentis solertiam, gerendis felicitatem, apud omnes omnibus in factis authoritatē summam esse nesciat? Quem vero Francisci Oliuarii summi Franciæ Cancellarii, & patri mortuo & filio imperanti spectata omnium magnarum rerum atque artium sciētia, maximus rerū vsus, incorrupta æquitas & tantorū bonorū nō vulgare ornamentū incomparabilis humanitas latere potest? Quis porro Caroli Lotaringi illustris. Remorum Archiepiscopi primā sub doctissimis & sanctissimis præceptoribus pueritiæ institutionem, bonarum omnium artium studiosam adolescentiam, grauium virorum assidua consuetudine



consuetudine ad res optimas maximásque confir-  
 matam iuuentutem, morum niueum candorem,  
 animi moderationem, ingenii vim, religionis & li-  
 terarum ardentis amorem, vt generis nobilitatem  
 taceam, ignorat? Quis alios grauissimos, sapientissi-  
 mósque homines in eundem ordinem cooptatos,  
 cum toga & armis præstantes, tum etiam Cardi-  
 nales doctrina multiplici, rebúsque gestis claros,  
 quibus non patria modo, verum etiam externa ma-  
 xima negotia committuntur, nisi cæcus aut valde  
 lippus sit, non perspicit? Maximum hoc regni bene-  
 administrandi & stabiliendi signum. Verum & quæ  
 sequuntur ex eodem fonte manant. Ne quid obitu  
 patris literæ detrimenti capiant, vt non minus quã  
 ius & imperium floreat, patris exemplum sequu-  
 tus, eas rursus Matisconensium antistiti quasi in cli-  
 entelam tradidit, vtque ille earum custos, profes-  
 sorum censor & tanquam Apollo quidam Mu-  
 sarum choro præfideret, imperauit. Quæcunque  
 ad deprauandos bonos mores, & emolliendos ho-  
 minum animos valere creduntur, aulâ prohibuit:  
 tribus annis superioribus bellis vrgentibus au-  
 ctis, tertiam partem deduxit: decimas sacerdotibus  
 eadem necessitate imperatas detraxit: sylvarum  
 nemorumque veterem usum omnibus eorum ac-  
 colis per totum regnum restituit: vtque qui inter  
 officia honorum & munerum mole grauati pluri-  
 bus pares esse non possunt, abrogatis aliis non

## ORATIO

plura gerant, quàm sustinere possint, sibi placere iam significauit: atque hodie cum suis consiliariis in eo grauissima cura occupatus est, vt quod ante frequenter animo pater agitauerat, tres omnium regnorum, rerum pub. atque imperiorum neruos, religionem, ciuilem iustitiam, & rem militarem, quæ omnia superiorum temporum effreni licetia valde loco mota, foedata & corrupta sunt, in gradum antiquum reponat, & pristinae sanitati restituat. In hunc igitur intuentes, veram & viam patris imaginem, dolorem de morte patris conceptum deponite: & sempiternam eius memoriam in pectore retinentes, sanctissima eius instituta seruate: literas cum religione & pietate coniungite: caelestiumque spirituum ordinibus ascripto gratulantes, non modo quantum vobis ademptum sit, sed quantum relictum, aspiciate: in filio acquiescite, hunc amate, veneramini, colite. vtque sanctos conatus exequi, quæque ad publicam vtilitatem meditatur, perficere possit, Deum Opt. Max. orate.

## FINIS.

*Errata.* In epistola, pro Callimacho, lege Antimacho. fo. 10. lege  
270. sunt nonnulla alia, sed in paucis exemplaribus.

Ἐπίγραμμα εἰς τὴν παμβασιλείῃς  
Φραγκίσκῃ θανάτῳ .

κῆρ μελίῳν δαμάτειρα βροτῆν Φραγκίσκοι ἔπεφνε,  
φῦλον εἰς ἀθανάτων χεῖρας ὀπλίσαυλῆν.  
Υψιμέδων κρονίδη κῆ δῆλιε δεῖσθαι φοῖβε,  
ἄλλεθ' ὀμπιέτης ἄλλεθ' ὀμυσαγέτης.  
Νῦν αἰθέρων κληροῦχος ἄπο χθόνιον λάχης ὄσσεσ,  
Αἰθέρησ θρασύφρων λήελοσ ἀντίχεται.

Idem Latine.

Parca hominū domitrix Frācisfum dira peremit,  
Armare in superos scilicet aufa manus.  
Phoebe time, celsi trepida regnator olympi,  
Mufarum interiit consiliique parens.  
Pluto ferox pactæ leges euincere fortis  
Pugnat, & æthereas victor inire plagas.

